I. N. I.

DISSERTATIO MEDICA INAVGVRALIS

DE

SCORBVTO FRIGIDO

QVAM

ANNVENTE DIVINO NVMINE

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO

SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO

DOMINO

ERN. AVG. CONSTANTINO

DVCE SAXONIAE IVLIACI CLIVIAE MONTIVM ANGARIAE ET WESTPHALIAE, RELIQVA

SVB PRAESIDIO

GEORGII ERH. HAMBERGERI

PHILOS. ET MED. D. PHYSIC. CHIMIAE ET PRAXEOS P. P. O. SERENISSIMORVM SAXON. DVCVM STIRPIS ERNESTINAE CONSIL. AVLICI ACADEM. NATVRAE CVRIOSOR. SODALIS CONCILII ACADEMICI ASSESSORIS MEDICI PROVINC. IENENS. FACVLTATIS MEDICAE SENIORIS ET PHILOSOPH. H. T. DECANI

PRO GRADV DOCTORIS

MORE MAIORVM LEGITIME OBTINENDO

DIE XIV. AVGVSTI AN. M DCC LI.

SOLENNI ERVDITORVM EXAMINI SVBMITTIT

AVCTOR

IOH. AVGVSTVS WILHELMVS LEZIVS

CÖTHENENSIS ANHALTINVS.

IENAE LITTERIS RITTERIANIS.

DISSERTATIO MEDICA INAVGVRALIS

DE

SCORBVTO SPECIATIM FRIGIDO.

§. 1.

SVPERFLVVM quidem quamplurimis videbitur de ſcorbuto adhuc exarare diſſertationem, quum iam tot tantaque de illo ſcripta et diſſertationes extent: ſed quum veterum de ſcorbuto meditationes, vel qualitatibus occultis, calido innato et aliis principiis ſuffultae ſint, quae noſtris temporibus, vel tanquam obſcura vel falſa merito reiiciuntur, et in recentiorum ſcriptis ſcorbuti idea vel nimis late ſumatur, vel etiam, in diſtinguendis ſcorbuti ſpeciebus, non ſufficiens ratio adhibeatur, hinc quaedam adhuc puto mihi relicta eſſe, quae, quum gratioſa facultas medica diſſertationem inauguralem elaborare me iubeat, in hisce paginis, quantum pro viribus potero, pertractabo.

§. 2.

In veterum ſcriptis, quae ante Caeſaris in Germaniam expeditionem proſtant, nec nomen ſcorbuti inueni-

uenitur, nec etiam ea ſymptomata recenſentur, quae noſtris temporibus ſcorbuto propria ſunt. Loquitur quidem princeps medicorum *Hippocrates* de magnis lienibus, in libro de affectibus internis, dicens: venter inflatur, poſtea vero lien intumescit, durus eſt, eique dolores acuti contingunt. Sed quum nec in caeteris libris eiusdem ulla mentio huius morbi fiat, concludi poteſt, vel alium affectum ſub illa deſcriptione illum intellexisſe, vel ſaltem eo tempore rariſſime inuentum fuiſſe. Quum enim hic morbus illis regionibus endemius ſit, quae in ſeptentrione maritimis locis adiacent, et illos potisſimum homines adgrediatur, qui nauigando ſeptentrionales regiones transcurrunt, cognitus non facile eſſe potuit antiquioribus medicis, quippe qui, Graeciam, Italiam, et alias mari mediterraneo confines regiones inhabitantes, de ſeptentrionalibus morbis parum, vel nihil cognitum habebant, niſi forte per nauigationem ex Phoenicia vnus, vel alter huncce morbum domum reportauerit. Poſtquam vero romani milites Germaniae ſeptentrionalia peterent atque praecipue in Belgicis, Friſiis atque Britannicis regionibus hibernacula facerent, exercitus morbum paſſus eſt, quem Plinius deſcribit per gingiuarum eroſionem, oris foetorem etc. atque ſtomacacen appellauit.

§. 3.

Scorbuti ideam generalem obſcuram valde videmus. Sunt enim plurimi medicorum, qui quamlibet acrimoniam et quamlibet vitioſam maſſae ſanguineae proportionem, febrili ſolummodo excepta, ſcorbuticam appellant, adeoque ſcorbutum, cacochymiam atque cachexiam inter ſe confundunt. Si vero accuratius

ratius ſcorbutum deſcribere velimus, illum morbum dicimus intemperiei univerſalis, vbi in masſa ſanguinea ſalia diuerſi generis praedominantur, ſerum vero partibus terreſtribus eſt repletum, ex qua vitioſa proportione et miscela ſtagnationes, eroſiones et exulcerationes variae in partibus praecipue oris et faucium atque in cruribus oriuntur.

§. 4.

Scorbutum dicimus morbum uniuerſalem, quia in tota masſa ſanguinea vitium haeret, et eius proportio naturalis immutata eſt: vniuerſalis quoque eam ob cauſam dicitur, quia in toto corpore vires ſuas, tam per laſſitudinem quam per dolores et eroſiones, exercet. Morbus intemperiei dicitur, quia vitium primitus tantummodo in ſanguine haeret, et tandem, ſuccesſu temporis, partes ſolidas quoque afficit, vt inde, ſub finem demum, morbis ſolutae vnitatis annummerari posſit.

§. 5.

Cauſam immediatam eiusdem conſtituit intemperies humorum, quae, pro ratione ſalium praedominantium, eſt vel calida et ſicca, vel frigida et ſicca. Cauſa mediata proximior, ſiue partes ipſae noſtri corporis quae praeternaturaliter ſunt conſtitutae, eſt ipſa masſa ſanguinea, cuius partes conſtituentes ita vitioſa proportione ſunt vnitae, vt ſalinae quidem et terreſtres abundent, partes ſulphureae vero, lymphaticae atque ſpirituoſae deficiant. Quumque ſic, repletis lymphae interſtitiis per partes terreſtres, lympha inepta ſit ad ſalium ſolutionem et mixtionem, hinc ſequitur, vt maior acrimonia, ſalium concentratio maior et alia mala exinde

 orian-

oriantur, quae per per decentem partium masſae ſanguineae proportionem et miscelam praecauentur. Sal enim concentratum erodit, viscidum obſtruit, unde obſtructiones, ſubſequentes eroſiones et vlcera, tanquam potiora ſcorbuti ſymptomata, proueniunt. Quod vero ſulphur in ſcorbuto deficiat, vel ſaltim non quouis momomento ſit reſolubile, ſed terreſtribus partibus intimius adhaereat, patet praecipue exinde, quia nunquam durabilis calor in ſcorbuto adeſt, ſed ſemper vel frigore ipſo vel horripilationibus crebrioribus excipitur. Effectus enim ſulphuris potisſimus in phyſiologicis eſt, ut propter leuitatem ſalibus adhaereat eorundemque ſpiculas obducat, unde cum hic ſulphur deficiat, ſpiculae ſalium liberae manent et profundius penetrare poſſunt.

§. 6.

Debilitatem vaſorum quidem et laxitatem illorum tanquam cauſam mediatam proximiorem adducere posſemus, ſed illam magis tanquam effectum morbi non vero tanquam cauſam conſiderandam putamus. Namque, quum robur et debilitas vaſorum ex nutritione, vel appoſitione partium in interſtitia fibrarum, oriatur, talis quoque eſt conſtitutio fibrarum, quales ſunt partes, quae adponuntur; cumque ſic in ſcorbuto ſulphur deficiat tanquam illud, quod terram ad nutritionem reddit aptam, nutritio quoque, deficientibus partibus nutribilibus, eſt vel imminuta, vel aqueis tantum perficitur partibus, vnde fibrae debilitantur magis quam roborantur. Obſtructiones quoque, in ſcorbuto ſemper praeſentes, dilatationem vaſorum, fibrarum ergo extenſionem atque debilitatem inferunt, quae, accedentibus

eroſio-

erofionibus, maior fit. Cumque fanguis deprauatus fpiffus nec decenter in minima musculorum caua penetrare, nec decentem fpirituum animalium copiam dare queat, vis quoque vitalis per fcorbutum imminuitur. Minime tamen debilitatem fibrarum ex numero mediatarum fcorbuti caufarum excludimus. Ex quacunque enim caufa fibrae factae fint debiles, femper fequitur motus progreffiuus fluidorum tardior, vnde inteftinus quoque fit debilior, quem obftructiones et corruptiones humorum obftructorum fequuntur: fi igitur tales infint noftris fluidis partes, quae auctae, vel actiuae factae, fcorbutum dare posfunt; accedente fibrarum debilitate fiet fcorbutus, qui fine debilitate nondum fuiffet productus.

§. 7.

Salia maffae fanguineae diuerfi funt generis, funt enim vel alcalica vel acida, quae, in determinata quantitate praefentia, in fe caeterasque partes fanguinis agunt, fe inuicem immutant, vt exinde mediae naturae fal oriatur, relicta, pro caloris conferuatione et fulphuris refolutione, quadam falis alcalici quantitate. Quodfi haec falia in feri quantitate decenti foluta funt, tunc alcali per fulphuris refolutionem calorem et fluiditatem conferuat, acidum terram foluit, et alcali actionem illius temperat, et fal inde ortum medium feri conferuat fluiditatem. Si vero ferum, per partium terrearum maiorem copiam et miscelam, viscidum eft factum, falia non decenter foluere poteft, vnde haec fuam fequuntur naturam, non in fe inuicem agunt et fefe non immutant, nec vnum alterius actionem temperat, vnde acrimonia oritur, quae, pro ratione falis praedominantis, varios

edit effectus, ex qua diuerſitate tres ortae ſunt ſcorbuti ſpecies. Diuiditur enim ſcorbutus in alcalicum ſiue calidum, acidum ſiue frigidum, et ſalſum.

§. 8.

Scorbutum alcalicum, ſiue calidum, dicunt, vbi inter illa concentrata ſalia ſal alcali praedominatur, exinde oriuntur phlogoſos frequentes, dolores ardentes et urentes, appetitus imminutus, vrina flammea, reſpiratio anxia etc. Non tamen eiusmodi calor ad febrilem accedit, quia visciditas ſeri maiorem impedit reſolutionem. Maculae in ſcorbuto calido ſeſe manifeſtantes ſunt magis rubicundae et vagae.

§. 9.

Scorbutus acidus ſiue frigidus eſt, vbi ſalia acida concentrata in maſſa ſanguinea maiori quantitate adſunt, ſeroque viscido immerſa latent, vnde horrores magis quam phlogoſes, dolores algentes et terebrantes, maculae magis coerulescentes et nigricantes adparent.

§. 10.

Quodſi vero neque acidum nec alcali nimis praedominetur atque per ſymptomata cognoscatur, attamen ſigna ſeri viscidi et acris adſint, qualia dolores eroſiones et irritationes eſſe ſolent, tunc dicimus ſcorbutum ſalſum, qui etiam ex continuo ſapore ſalſo in ore aegri et copioſo ſalſorum vſu praegreſſo cognoscitur.

§. 11.

Ex hisce deſcriptionibus patet, quam neceſſaria ſit ſcorbuti in ſuas ſpecies diuiſio. Etenim ſi in curatione ſcorbuti calidi, ſiue alcalici, medicamentis calidioribus

ribus nimis diu continuamus, exinde ſanguinis exaeſtuationes, febriles commotiones, lipothymias et ſic porro oriri videmus. Si in ſalſo ſcorbuto ſalia media nitroſa crebro vſurpentur, tunc eroſiones vehementiores, vlcera, ſpasmi et conuulſiones timeri posſunt, et ſic quoque ſcorbutus frigidus non rite cognitus peruerſa cura augetur potius quam tollitur. Quum vero de ſingulis ſpeciebus prolixius agere cancelli diſſertationibus circumſcripti non concedant, hinc nobis ſcorbutum ſolummodo acidum, ſiue frigidum dictum, pertractandum ſumimus.

§. 12.

Scorbuti frigidi cauſa mediata proximior conſiſtit in cacochymia melancholica, ſiue in tali proportione masſae ſanguineae vitioſa, in qua partes acidae abundant, terreae copioſe ſero commiſtae ſunt, et ſulphur vel deficit, vel intimius terreſtribus particulis adhaeret, vel propter defectum ſalium alcalicorum non reſolui poteſt. Si venaeſectionem in aegro hoc morbo laborante inſtituimus, videmus ſanguinem emisſum fluxilem eſſe nec cito concreſcere, uti alias in ſanguine ſano fieri ſolet. Quum enim ſalia acida praedominentur atque, propter abundantiam et concentrationem, fortius agant, terram quoque reſoluent, eamque ſolutam tenebunt, vnde pari ratione fluxilis redditur ſanguis, ac fit, ſi ſano ſanguini ex vena emiſſo adfunditur liquor acidus vegetabilis, quippe qui, ſoluendo terram, ſanguinem ad tempus fluidum conſeruat et magis cinnabarinum illius reddit colorem.

§. 13.

Quicquid nunc conſtitutionem ſanguinis natura-

lem ita mutat, vt in illo partes acidae terreſtres et viſcidae abundent, alcalicae vero et ſulphureae deficiant, illud eſt cauſa remotior; quam triplicem hic habemus, et quidem res naturales, non naturales et praeternaturales, de quibus ſingulis ſuo ordine nobis erit agendum.

§. 14.

Aetas quidem quaelibet ſcorbuticis adfectibus inquinari poteſt, frequentius tamen adgredi ſolent aetatem conſiſtentem et ſenilem; tam quia in tali aetate iam partes acres et viscidae praedominare ſolent, quam etiam, quia in hisce aetatibus magis illa committuntur diaetae vitia, per quae hicce morbus adquiritur. Vitae genus ſedentarium, ſi aliis cauſis acrimoniam acidam excitantibus additur, ſcorbutum frigidum citius longe gignit, quam ſi eadem vitia in victu ab homine laborioſo ſint commisſa; id praecipue videmus in nautis et iis qui labores in nauigando vehementiores exercent, quippe qui non adeo frequenter, vel breui tempore, ab hocce morbo infestantur, quam ii qui otioſi naui includuntur. Homines temperamenti melancholici, vel melancholico-phlegmatici, ſi iis vitiis diaetae indulgent, quibus acrimonia acida adquiritur et visciditas augetur, magis quam reliqui ad hunc morbum ſuſcipiendum ſunt diſpoſiti.

§. 15.

Contagio quidem plurimum adſcribunt quidam medici, et hoc malum per oscula, per cohabitationem, per integumenta et veſtimenta alioque modo, ex corpore morboſo in alia corpora transferri posſe adfirmant. Quamqam vero visciditas materiae morbificae eiusque lenta actio, quam in ipſo aegroto exercet corpore,

pore, docere videantur, materiam ſcorbuti morbificam, tam, ob visciditatem, ad penetrationem in vaſa corporis ſani excretoria ineptam esſe, praecipue ſi per breue tantum tempus morboſum corpus ſano adplicetur, quam, ob lentum agendi modum, facile per actiones integras corporis ſani materiam abſorptam mutari et contagium euitari posſe, nec mihi ſaltim indubitata obſeruatio ſit cognita, quae oſtendat, absque alio errore diaetae quo ſcorbutus gignitur, ſolo contagio quemquam ſcorbuto esſe correptum: quia tamen non omnis materia morbifica, in ſcorbuto, viscido eſt immerſa, et alii morbi a viscido et acri, v. g. morbi venerei et arthritis, ſunt contagioſi, nolo contagium plane ex numero cauſarum remotarum excludere, ſed, vbi ſanum corpus diu a matre in vtero, vel a nutrice nutritur, ſalinae partes, foetui vel infanti cum nutrimento diu commuicatae, facile ſimilem morboſam conſtitutionm in foetu, vel infante producunt. Num vero a patre quoque ſcorbutico hic morbus infanti generatione communicetur, merito dubitatur, infantes potius ſcorbuticorum parentum ideo fiunt ſcorbutici, quoniam infantes, diaetam ſequentes parentum, eadem committunt diaetae vitia, per quae parentes illum morbum ſibi adquiſiuerunt: Vtuntur ſcilicet eodem aëre, vescuntur iisdem cibis, vt ſic ex eadem cauſa idem morbus oriri poſſit.

§. 16.

Quod res non naturales concernit, primum et potisſimum inter illas locum obtinet aër, quatenus ſcilicet frigidus, humidus et vaporibus acido ſalinis eſt repletus. Quatenus enim frigidus eſt, ſanguinem con-

denſat, tranſpirationem impedit, ſecretiones et excretiones minuit, quatenus humidus eſt haec omnia maiori praeſtat gradu, et, fibras ſimul emolliendo, vires mutantes et expellentes minuit, vnde viscidum generatur et acre retinetur. Quod ſi ſic huic aëris qualitati acres accedunt exhalationes, quae vel, per poros cutis reſorptae, masſae ſanguineae miscentur, vel, omnibus eſculentis et potulentis adhaerendo, ſimul cum illis per chyli vias in ſanguinem feruntur, tunc, cum ſimul viſciditas et acrimonia vno quaſi momento augeantur, cauſa ſtatim miniſtratur mediata proximior ſcorbuti. Aër quo magis frigidus et humidus eſt copioſiora ſalia ſecum vehit, vnde videmus, quo magis regiones ſeptentrionem verſus vergant, eo magis in eis ſaeuire huius morbi ſymptomata. Quum enim Bataui Spitzbergae prima ponere conarentur hibernacula, tunc omnes huic morbo expoſiti homines, qui hyemem ibidem perferre volebant, non ex frigore ſed ex ſcorbuti vehementia periere. Id quod etiam in Groenlandia et Norwegiae maritimis locis factum fuiſſe hiſtoria, teſtatur vbi tamen Diuini Numinis ſumma prouidentia optimum quoque huius morbi antidotum, cochleariam, in tam abundanti locauit copia, vt exinde ripae vbiuis fere virides adpareant.

§. 17.

Si vero accedit, quod in eiusmodi locis ſimul vitia committantur diaetae quibus acida acrimonia et visciditas augetur, tunc eo citius et eo grauius hic morbus vim ſuam exercere poteſt. Inter cibos autem acrimoniam et visciditatem augent viscidi et copioſe ſumti, qui quum non per menſtrua decenter reſolui posſint, cruditates excitant viscidas. Tales ſunt carnes et pisces

ces exſiccati, fumo indurati, caro ſuilla, pisces, praecipue maiores, aues pingues aquaticae. Cibus et potus acidus, praecipue ſi nimis copioſe adſumantur, humorum aciditatem augent, alcali immutant in medium, ſulphur coagulant et terram copioſam ſecum ducunt in ſanguinem; ſoluunt enim terram, illamque ſolutam ad penetrationem per vaſa lactea et conſequentem cum ſanguine miscelam reddunt aptam. Cibi farinacei non fermentati, vt turundulae, paſtilli, lentes, piſa, fabae et caſeus, pari ratione ſanguinem cruditatibus viscidis replent, menſtrua enim ventriculi raro ſufficiunt ad reſolutionem harum partium cohaerentium, hinc tanquam crudae in ſanguinem tranſire coguntur. Sunt quidem nonnulli qui actiuitatem menſtruorum augere volunt per ſpirituoſa, e. gr. per ſpiritum vini, vel per ſe, vel per acidum citri, ſacharum et aquam temperatum, quem Punch dicunt, verum reſolutio adparenter modo obtinetur et coagulum, quod breui tempore ſubſequitur, eſt eo fortius. Roborat enim ſpiritus vini fibras ventriculi, vnde incommoda ex cruditate non percipiuntur, ſeri vero visciditatem maximopere auget, et omnes ſecretiones exinde imminuuntur, id quod ii potisſimum experiuntur, qui prope ignem vehementem labores exercent et exercere coguntur: quum enim, pota aqua vel cereuiſia, viribus deſtituantur vel ſudore diffluant, ſpiritu vini vtuntur, vnde fere nullos ſuſtinent ſudores. Pariter quoque cibi acres v. gr. ſinapi, armoracia, cepae, allium etc. ſi tanquam cruda in maiori copia manducantur, ad eiusmodi morbum acrem et viscidum diſponunt, augendo acrimoniam et inducendo visciditatem.

 §. 18.

§. 18.

Hisce rerum non naturalium conditionibus, quales de aëre, cibo et potu, in praecedentibus §phis recensuimus, ſi ſuperueniat quies corporis, eo magis fermentum agere poteſt ſcorbuticum. Quies enim iam diſponit ad visciditatem, et corpus quietum magis diſpoſitum eſt ad excipiendum quodlibet fermentum: id enim videmus in illis qui laboribus exercentur in nauibus, et in iis qui quieti indulgent, vti iam ſupra monuimus. Quum enim nautæ corpus laboribus exerceant, expellunt magis ex illo, per tranſpirationem auctam, partes praeter naturam genitas et impediunt quoque, quo minus partes extraneae in illud ex aëre penetrare poſſunt, nam impetus fluidorum, ex vaſis cutaneis prodeuntium, maior protrudit ſemper partes ab extra adhaerentes; et ſic efficit, vt nihil abſorberi posſit. Vigiliae quoque, nimis diu continuatae, admodum nocent; debilitant enim corpus, vnde potus ſpirituoſus, vel viſcidus, cibi acidi, per ſe iam difficillime reſolubiles, vel in maiori copia adſumti, longe minus reſoluuntur.

§. 19.

Animi pathemata et quidem illa praecipue, quae motuum ſpirituum imminuunt, vt ſunt, moeror, triſtitia, timor, terror pariter ac ſtudia profundiora et lucubrationes, quam maxime nocent, quia tam ſpiritus deprimunt, quam fibrarum robur et tonum frangunt, et ſic permittunt, vt quaelibet partes acres et viscidae, per cibos adſumtae in corpore ſeſe accumulare queant. Quum enim iam cognitum et experientia confirmatum ſit, quod eiusmodi pathemata malo hypochondriaco occaſio-

casionem praebeant, hinc, cum scorbutus nihil aliud sit, quam maior mali hypochondriaci gradus, sequitur, quod et scorbutus prima exinde sumere possit fundamenta.

§. 20.

Inter excreta potissimum eminet coitus nimius, statim post prandium vel coenam institutus. Hic enim, quum semper excretioni copiosiori spirituosarum sanguinis partium iunctus sit, defectum spirituum maximopere auget. Spirituum vero est, vt, cum sanguine commixti illum reddant fluidiorem et vires nostri corporis conseruent, nunc illis depauperatis status humorum inducitur viscidus et corpus fit debile.

§. 21.

Mensium retentio eatenus occasionem praebere potest scorbuto, quatenus tam abundantia sanguinis quam eiusdem visciditas augetur. Euacuatur enim per menstrualem fluxum sanguis abundans plethoricus; retento igitur illo, vasa manent extensa, tonum amittunt, vnde sanguinem non decenter mouent et suum ad illius resolutionem officium praestare non possunt, vnde visciditas et partium noxiarum excernendarum accumulatio. Hoc vero etiam pari ratione contingere potest cum fluxu haemorrhoidali, ante correctam caussam cessante. Quod enim vtraeque hae euacuationes suppressae plurimum ad hunc morbum conferant, patet ex eo, quia scorbutus, restituto tam mensium quam haemorrhoidum fluxu, nonnunquam perit et in aegrorum solatium felicissime curatur.

§. 22.

§. 22.

Saepisſime vero ſcorbutus ex alio morbo ſuam ducit originem. Prima enim rudimenta deſumit ex laeſa chylificatione, qualis vero chylus eſt talis etiam eſt ſanguis, et ſi tota masſa ſanguinea praeternaturaliter eſſet conſtituta, et chylificatio integra reddi queat, tunc curatio breuis eſt et morbus non diu durare poteſt. Ad chylificationem vero potiſſimum requiruntur menſtrua, menſtrua vero ſana requirunt, vt illa viſcera ſint ſana et integra, quae chylificationi inſeruiunt; vnde, ſi haec viſcera ſunt praeternaturaliter conſtituta, totum perturbatur chylificationis negotium.

§. 23.

Obſtructio lienis primum potiſſimum ponit fundamentum. Quum enim lienis officium ſit per penicillulos ſuccoſos RVYSCHII ſeparare partes ſeroſas ſubtiles, lymphaticas dictas, ex ſanguine, quae, per vaſa lymphatica, penicillulis illis contigua, feruntur vel in glandulas meſeraicas, vel in capſulam chyli, vel in ductum thoracicum, eum in finem, quo chylus diluatur et fluxilior misceatur cum ſanguine, deficiente hac lympha, chylus, cum non diluatur, manet viſcidus, et quoniam ſanguis quoque eſt viſcidus, chylus non rite cum illo ſeſe miſcere poteſt, quia duo liquores viſcidi nunquam ſatis perfectam, vel ſaltim nimis tardam inter ſe inuicem admittunt miſcelam.

§. 24.

Si pancreas obſtructum ſit remanent partes ſalinae ſub acidae in ſanguine, ex eodem ſecernendae; ſanguis ergo ſit acris ſalſus, vel acidus, quae qualitas per aſſumta

facile

facile ad ſtatum praeternaturalem perducitur. Obſtructio pancreatis ſimul efficit, vt menſtrua ad reſolutionem ciborum neceſſaria deficiant, vnde horum ſalia non ſoluuntur, chylus non diluitur, vt tanquam aquoſior cum ſanguine ſeſe miſcere poſſit.

§. 25.

Hepatis obſtructionem ſequitur bilis impedita ſecretio, quumque bilis officium ſit, vt, tanquam liquor ſaponaceus, miſtionem partium chyli oleoſarum cum aquoſis adiuuet, defectus illius, vel etiam praua eius conſtitutio, impedit, quo minus partes oleoſae cum caeteris maſſam ſanguineam conſtituentibus miſceri poſſint: partes enim oleoſae tanquam oleoſae minime intrare poſſunt ſanguinem, quoniam nimis inter ſe cohaerent. Deficiunt itaque partes hae in ſanguine, quae alias partes ſalinas circumdare et acrimoniam illarum demulcere debent, vnde magis actiua fiunt ſalia.

§. 26.

Si glandulae meſenterii ſint obſtructae, chylo viam non concedunt, qui ex vaſis lacteis illas tranſire conatur: quumque continuo per ſecretiones et excretiones humidum ex noſtro corpore eliminetur, oriretur ſiccitas et acrimonia, niſi per ſubſequentem chylum humiditates perditae reſtituerentur, nunc vero chyli via eſt intercepta et non reſtituitur deperditum, ergo gignitur acrimonia.

§. 27.

Glandulae inteſtinales ſuperiores liquorem ſecernunt, qui chylum diluit et calidus guttatim miſtus illum reſoluit. Si hae glandulae ſunt obſtructae impeditur

ſecretio huius liquoris, vnde chylus, non decenter reſolutus et dilutus, viſcidior quam eſſe debebat, tranſit in ſanguinem et illius viſciditatem auget.

§. 28.

Obſtructiones itaque horum viſcerum id praeſtant, vt ſanguis reddatur viſcidus, cohaerens et ad penetrationem per vaſa minima ineptus, vnde ſtagnationes, dolores, tumores etc. oriuntur: dicuntur vno verbo malum hypochondriacum. Si tali viſciditati humorum acrimonia accedit, tunc ſcorbuto porta aperitur. Patet itaque exinde, cur malum hypochondriacum initium ſeu minor gradus dicatur ſcorbuti. Febres quoque intermittentes, potiſſimum quartanae, pari ratione anſam praebere et originem noſtro ſcorbuto dare posſunt, ſi, imprimis poſt male curatas has febres, remanet tumor glandularum meſeraicarum, i. e. obſtructio viſcerum chylificationi inſeriuientium; generatur enim exinde nil niſi viſciditas et acrimonia humorum et ſcorbutus eſt in proximo. Quod ſi vero tantummodo viſciditas orta eſt, facile huic ſe iungit acrimonia, quia ſalia iam praeſentia non decenter ſoluuntur, atque ſic per excretiones non euacuantur, interim tamen continuo per ingeſta noua feruntur in maſſam ſanguineam, et tali modo inſigniter in noſtro corpore accumulantur.

§. 29.

Perſpectis ſic cauſis ad ſigna nobis erit conuertendum, quae ſunt vel diagnoſtica vel prognoſtica. Signa diagnoſtica ſcorbuti frigidi merito diſtingui posſunt in ſigna ſcorbuti imminentis et praeſentis. Quum vero

cauſa

causa scorbuti frigidi imminentis sit viscidum, cui successiue acrimonia acida se iungit, signa hic habemus generalia, a viscido et acrimonia acida oriunda. Inter haec, post ex causis praegressis et hactenus expositis desumta, primum obtinet locum lassitudo perpetua sine manifesta causa, vel etiam post leuissimum motum; sanguis enim viscidus et acris ineptus est, tam ad transitum decentem, vel auctum per vasa extrema, vnde stagnatio aliqualis sanguinis, vasorum expansio atque fibrarum extensio, ergo debilitas physica oritur, quam ad secretionem spirituum; sulphur deficit, et, si quoque adest, vel nimium terrae adhaeret, vel quoque, propter deficientem salis alcalici quantitatem et acidi abundantiam, non facile resolui potest, cum tamen sulphur resolutum spiritibus praebeat originem. Haec lassitudo in dies magis magisque augetur, donec tandem talis accedat debilitas corporis, vt illud facillet et aegri pedibus fere insistere nequeant.

§. 30.

Dolores deinde oriuntur in variis partibus profundi et ossibus fere infixi, ostocopi dicti, sub varia forma ludentes, modo otalgici, modo odontalgici et in mulieribus praecipue hemicranici, sanguis enim talis acris salinus transit in vasa minima periostii, stagnat ibidem illaque erodit. Hi dolores algentes sunt et rodentes, attamen transitorii, primario ob inaequalem massae sanguineae statum, ob quem acre fluidum non semper in vno subsistit loco. His doloribus se iungunt horripilationes crebriores, quoniam materia talis acris, irritando vasa minima, expansionem et contractionem reciprocam excitat, eadem ad tempus obstruit et cali-

dorum fluidorum ad locum obſtructum adfluxum impedit. Debilis igitur cum ſit ſtagnantium partium calor, hic facile cesſat.

§. 31.

Appetitus horum aegrorum eſt inaequalis, modo auctus modo inſigniter imminutus. Auctum appetitum tunc temporis ſentiunt ſi acidum praedominans, penetrando in ventriculi vaſa minima, irritationem excitat et ad contractionem ſtimulat, ac, miscendo ſe menſtruo ventriculi, illud magis reddit acidum; quumque a menſtrui aciditate appetitus oriatur, hic inſigniter auctus eſſe debet: e contrario ſi visciditas partium acidarum penetrationem impedit, tunc menſtruum ventriculi vel deficit, vel, ſi quoque adeſt, viscidum eſt, et ad actionem et reſolutionem ineptum, vnde appetitus imminutus percipitur. Aegri in ore continuo ſentiunt ſaporem acidum, cui ructus acidi et nidoroſi ſeſe iungunt.

§. 32.

In hoc gradu diſtingui debet ſcorbutus frigidus a malo hypochondriaco et lue venerea. A malo hypochondriaco differt in eo, quod in illo non tanti dolores et ſigna adſint acrimoniae: parum vero referret ſi hi a ſe inuicem non tam accurate diſtinguerentur, quoniam eadem curae ratio in vtroque morbo eſt habenda. De lue venerea vero confeſſio aegri optimum praebere poteſt ſignum diagnoſticum, ſi autem haec ſit dubia, modo attendatur an dolores et laſſitudo nocturno augeantur tempore, et an maculae liuidae in fronte, vel vlcera ſicca in cute, vel faucium et narium eroſiones adſint, ſi ita ſe habet, hic ſtatus magis pronunciandus

eſt

est venereus. Praecipue vero quaeratur ex aegro an tumores glandularum faucium iuncti sint, vel an alius morbus venereus sit praegressus.

§. 33.

Magis vero certi esse et praesentem scorbutum praedicare possumus, si signa coniunguntur sequentia; et quidem, si debilitas corporis et lassitudo (§. 29.) de die in diem ita increscit, vt aegri se loco mouere et sine adstantium auxilio soli stare nequeant; hoc mali genus veteres Scelotyrben adpellare consueuerunt, et defectum summum spirituum et fibrarum debilitatem summam pro sua agnoscit causa. Dolor accedit in lumbis, partim quando partes salinae viscidae etiam in renibus stagnant, corrumpuntur et dein cum vrina excernuntur, hinc etiam ibidem quam maxime irritant, priusquam per vasa secretoria penetrare possunt et vrina excernitur modo flammea modo variorum colorum; partim quando stasis sit in glandulis mesenterii et plexus neruosi irritantur et tenduntur.

§. 34.

Gingiuae vero praecipue afficiuntur, quae russescunt, tument, dolent, a dentibus recedunt, ita, vt hi digito fere eximi possint, et tandem cruorem fundunt, si per leuissimam causam irritantur. Constant enim gingiuae ex fibris subtilissimis et ex meris vasculis, cumque in scorbuto massa sanguinea sit vario modo inquinata per acrimoniam illam acidam et viscida facta, vbi-nis stagnare potest, et quoniam et in his et quidem tanto magis stagnat, quanto magis aëri frigido sunt expositae et vasa habent subtilissima, illa facillime erode-

re et eorum diſſolutionem praeſtare poteſt. Foetor oris qui in hisce aegris percipitur, putredinem indicat humorum et vlcera in ore latentia, quae partes putridas aëri exſpirato miscent.

§. 35.

In ſcorbuto frigido omnia adſumta ſaporem praebent acidum, vel minimum mutatum, ſi enim tota maſſa ſanguinea ſalibus eiusmodi peregrinis eſt imbuta, haec ſalia etiam ſaliuae ſeſe miſcere debent, vnde ſaliua cibis miſta linguae talem communicat ſaporem, qualis ex ſalibus oritur ſaliuae miſtis.

§. 36.

Maculae ſcorbuticae hinc inde in corpore, imprimis in artibus, efflorescunt, quia partes hae viscidae acres in extremis partibus ſtagnant et vaſa minima ſubcutanea erodunt. Maculae hae, ſi modo leuiſſime fricantur, ſanguinem fundunt et modo rubicundae ſunt, modo ruffae, modo vero coerulescentes et in inferioribus partibus noſtri corporis frequentius quam in reliquis ſeſe manifeſtant. Ex eadem vaſorum minimorum ſanguiferorum eroſione et ruptura oriuntur haemorrhagiae crebriores, praecipue narium, obſeruantur tamen a practicis quoque haemoptyſes et vomitus cruenti. Tandem et affectus vertiginoſi et lipothymici ſuperueniunt, qui ex ſumma debilitate et ſpirituum depauperatione, vel inaequali eorum influxu, originem ducunt.

§. 37.

Prognoſtica ſcorbuti frigidi ſigna concernunt durationem, mutationem eiusdem in ſanitatem, alium morbum et mortem. Ratione durationis chronicus eſt mor-

morbus et per longinquum tempus durare poteſt, et, ſi malum eſt inueteratum, nonnunquam aegri prius vitam cum morte commutant, antequam iis per congrua medicamenta ſubuenitur et ſanitas reſtituitur. Quum enim visciditas et acrimonia ſimul adſint, ſalia vero viscido immerſa lateant, non tanta vi agere et acrimoniam ſuam exercere posſunt ac ſi eſſent libera, et tamen ſimul reſoluendo efficiunt, ne maior visciditatis gradus proueniat, et ex hac ratione cura quoque difficilior euadit. Quod ſi enim viscidum per medicamenta actiuiora reſoluere velimus, portam aperimus acrimoniae maiori, et ſi iterum per mucilaginoſa ſalia inuoluantur actiuiora, tunc visciditas augetur, vnde non niſi lenioribus reſoluentibus et incidentibus, quibus mucilaginoſa temperantia et diluentia ſint iuncta, curatio inſtitui debet.

§. 38.

Mutatio ſcorbuti frigidi in ſanitatem contingit, ſi materia morbifica, prius alterata, per vias naturales euacuatur, vel, quod tamen rarius fit, ſucceſſiue et quaſi inſenſibiliter euaporat. Euacuationes ſalutares vero maxime ſolemnes eſſe ſolent per vrinam, quae tunc colorem habet inſtar lateris et quam maxime turbulenta excernitur, vel etiam ſi menſes et haemorrhoides critice ſuperueniant et cum his materia morbifica euacuatur.

§. 39.

Mutatio ſcorbuti frigidi in alium morbum diuerſa eſt, pro ratione visciditatis, acrimoniae et ſtagnationis partium viscidarum et acrium in diuerſis vaſis: Partes

tes enim viscidae ſtagnant, obſtruunt et tumores excitant, v. gr. in liene, hepate, meſenterio, pancreate, qui, morbo diutius durante, in ſcirrhoſam abeunt duritiem, vel corrumpuntur. Ex priore hyprops vel ſcirrhus internus, ex poſteriore vomitus cruentus, aluus cruenta, cancer internus febris et mors oriuntur. Vel et vlcera externa peſſimae indolis et fere inſanabilia remanent, quae, depaſcendo cutem, profundiora petunt. Tandem et melancholia exinde oriri ſolet, ſi ſanguis tenax ſit et difficulter reſolubilis et ad ſecretionem ſpirituum animalium in cerebro ineptus, et, huic tenacitati ſi maior acrimoniae gradus accedit, maniam, ob ſtagnationem et irritationem in cerebro, producit.

§. 40.

In mortem vero ſeſe mutat ſcorbutus frigidus, ſi vel ſphacelus partium nobiliorum ad vitam maximopere neceſſariarum, vel putredo vniuerſalis ſuperuenit.

§. 41.

Antequam vero ad ipſam huius morbi curationem nos conuertimus, prius adhuc monendum eſt, quod medicus confuſionem ſcorbuti et luis venereae omnimode cauere debeat; quoniam exinde ingentia mala immo ipſa mors aegris induci poſſunt: Nam ſi in lue venerea antiſcorbutica fortiora praeſcribuntur, maſſa ſanguinea exagitatur, et corruptiones ſeri ſalinae, in illo iam praeſentes, adhuc magis exacerbantur. Si in ſcorbuto mercurialia ad ſaliuationem vsque propino, anſam praebeo ſtaſibus, eroſionibus et inflammationibus, quae tamen in lue venerea tanquam praeſtantiſſima et ſpecifica medicamenta primarium locum ſibi vindicant.

Scor-

Scorbutus non admittit fortiora abſtergentia et reſolventia ſed temperantia et leniter incidentia expoſcit, quae in lue venerea vel nihil efficiunt,vel potius noxam inferunt. Vbi autem lues venerea et ſcorbutus ſimul adſint, hic, niſi iam in ſummo adſit gradu, quaſi praetermitti et illa in curatione reſpici debet.

§. 42.

Quod curae concernit rationem generalia tantummodo addamus, tam quoniam ſaepiſſime ab aliis ſpecialiorem curam iam pertractatam habemus, quam quia vberiorem tractationem eiusdem anguſti diſſertationis limites non permittunt. Indicans primarium in ſcorbuto frigido eſt acrimonia acida et ſerum viscidum, exinde ſequentes deduci poſſunt indicationes, et quidem

1) ſerum viscidum diluatur, attenuetur, reſoluatur,
2) acidum praedominans alteretur et immutetur,
3) obſtructiones praeſentes expediantur,
4) robur partibus ſolidis reſtituatur,
5) ſymptomata magis vrgentia mitigentur.

§. 43.

Quum vero in ſcorbuto frigido chylificatio maximopere laeſa ſit, et medicamenta in ſanguinem non prius decenter agere poſſint quam chylificatione reſtituta, hinc primitus ad illam reſtituendam praemittantur digeſtiua ex arcano tartar. tartaro vitriolat. tartariſat. cryſtall. tartar. ſale abſynth. centaur. min. Card. bened. cum abſorbentibus mixta. Dein lenia praeſcribantur laxantia quibus balſamica ſunt iuncta ex extractis amaris, laxantibus, et gummatibus compoſita, v. gr. ex extracto abſynth.

card. benedict. centaur. min. trifol. fibrin. hellebor. nigr. agaric. rhabarbar. catholic. panchymagog. Croll. cum gummate Ladan. ſagapen. maſtich. myrrh. opoponac. etc. Laxantibus vero tam quam diaphoreticis, quae poſtea propinantur, ſemper ſunt praemittenda humectantia, quae vel ex aqua ſimplici, cui panis toſtus iniicitur, vel ex decoct. hordei cum C. C. et ſcorzonera conſtare et pro potu ordinario adſumi poſſunt.

§. 44.

Hisce aliquoties repetitis iungantur antiſcorbutica acria imprimis alcalica, vt ſunt cochlearia, beccabunga, naſturtium, lepidium, chelidonium minus, ſedum minus, trifolium fibrinum in forma eſſentiae vel infuſi, vel in iusculis medicatis, vel ſucci eorum propinentur expreſſi. Raphani quicunque et praeſertim ruſticanus, ſinapi, cepae et allium egregie quoque conducunt, quae tamen tanquam magis acria moderatiori doſi ſunt exhibenda. Pro ſcopo reſolutionis et ſalium acidorum mutationis dentur acalica fixa, diaphoretica et bezoardica, v. gr. in infuſis vel decoctis radix. chin. ſcorzoner. ſaſſaparill. graminis aſparag. cichor. helen. caryophillat. pimpin. alb. ir. florentin. cum raſurae lign. ſasſafr. guaiaci, cortic. fraxin. citri et aurant. interpoſitis leuibus laxantibus ſupra commendatis: porro ocul. cancror. ppt. conch. ppt. mater perlar. antimon. diaphoretic. cinnabaris eſſ. ſcord. pimpinell. vincetoxic. carlin. alexipharmac. *Stahlii*, balſamica *Slevogtii*, mixtura ſimplici, vel ſpiritu nitr. dulc. temperatae. Cauendum tamen et abſtinendum maximopere a medicamentis calidioribus,

bus, ne ebullitio nimia excitetur, quoniam vaſa iam ſunt perquam debilia et turgenti ſanguini non ſatis reſiſtere poſſunt, alias affectus lipothymici, apoplectici, ſoporoſi et haemorrhagiae grauiores facile oriuntur. Thermae quoque ſunt vtiles, et, malo maximam partem ſublato, vſus aquarum medicatarum legitimus praecipue vero Selteranarum, Wildungenſium vt et Antonianae, vti in omnibus morbis chronicis ſic etiam in hoc, cum vel ſine ſe rolactis commendari poteſt, quia per has viscera egregie reſerantur et viscidum ſucceſſiue reſoluitur. Corpus leniori ſemper exerceatur motu et fugiantur omnia quae chylum praebent et reddunt crudum, ſpiritusque animales vel figunt vel disſipant.

§. 45.

Si per vſum horum medicamentorum acrimonia acidarum partium eſt temperata et viscidum reſolutum, tonus ut partibus debilitatis reſtituatur neceſſe eſt. Id quod obtinemus, ſi aromatica amaris iuncta propinamus, praecipue ſi cibi pipere et zingibere condiuntur et adſumuntur, vel ſi trageae aromaticae ex puluere calam. aromat. coſt. ver. cinam. rad. caryophillat. dictamn. alb. gentian. zedoar. galang. cort. citri et aurantiorum praeſcribuntur, vel ſi ex hisce ſimplicibus mixturae vel vina medicata componuntur, interpoſitis aliquoties lenibus laxantibus. Egregium quoque exhibent vſum tinctur. vitriol. mart. Ludouici, martis zwelfferi, martis temperata b. *Wedel.* corall. tinctura martis cydon. helleborata, terrae catechu. Bibant aegri tempore prandii vinum enulatum, vel hungaricum vel franconicum et ab vſu ciborum difficilius reſolubilium

lium omnimode abſtineant, itemque ab vſu decocti Herbae thee vel coffée, immo ab omni copioſo potu praeſertim aqueo. Iisdem his medicamentis (§. 44. et 45.) etiam obſtructiones reſerantur.

§. 46.

Si ſigna adſunt plethorae venae ſectio eſt inſtituenda, tam vt pars noxia euacuetur et medicamenta eo melius agere, quam vt decens ſpatium fiat in vaſis, vt illa ſeſe contrahere et ſanguinem maiori vi propellere, reſiduasque partes noxias attenuare et euacuare poſſint, et, ſi cruditates copioſae ventriculum et inteſtina moleſtant, quae per ructus nidoroſo acidos, appetitum imminutum vel abolitum et ſenſum triſtem in infimo ventre cognoscuntur, conducit maximopere lene vomitorium ex radic. Ipecacuanna, tartar. emetic. et ſucco ſedi minoris vermicularis, (quod tanquam ſpecificum emeticum in hoc morbo laudatur, et de quo obſeruationem notatu dignam in Actis naturae curioſorum videre licet) niſi alias contraindicans adſit et vires aegri, nonnunquam nimis proſtratae, id prohibeant.

§. 47.

Gingiuis debilibus et eroſis ſubuenitur per electuaria dentifricia, et per ea quae dentes ſimul firmant in alueolis, vt ſunt tinct. gumm. lacc. eſſ. myrrh. et ſuccin. vel ſolae vel cum melle roſar. mixtae, vt et mater perlar. corall. rubr. mandibul. luc. pisc. C. C. vſt. lap. pumic. rad. ir. fl. crem. tartar. alumen vſtum. lapid. cancror. os ſepiae, caryophill. aromatic. nux moſchat. cinam acut. myrrh. rubr. lign. rhod. opium thebaicum, lacc. in rotulis, ex quibus, ſi coccionell. cum oleo tartar.

per

per reliq. irrorata, oleum caryophillor. mel rosar. et spiritus cochlear. adduntur, electuarium praescribi potest; quod tam dentes firmat quam eorum sordes abstergit. Cinis purus tabaci dentibus et gingiuis adplicatus egregii quoque est vsus. Myrrha saepius masticata et aliquamdiu in ore detenta in his vitiis perquam vtilis est.

§. 48.

Vlcera scorbutica interim durante cura interna abstergantur et mundentur per balsamica, v. gr. per ess. myrrh. mastich. balsam. peruuian. etc. et vnguenta digestiua, donec tandem per traumatica penitus consolidari possint. Maculae vero scorbuticae neutiquam externis sunt tractandae, nisi prius decens curatio interna sit praemissa, vbi dein cum aqua calcis viuæ vel sola, vel cum spiritu vini camphorato mixta, ablui possunt quo eo citius euanescant. Haemorrhagiae narium per fortiora adstringentia et stiptica non sunt temere sistendae, et, si sint grauiores, potius per temperantia nitrosa cohibendae.

§. 49.

Cura sic absoluta summa rei versatur in eo, vt diaeta decens conseruetur. Haec vero consistit in conueniente rerum non naturalium adplicatione, et, si fieri potest, vitetur potissimum aër humidus et vaporibus acido-salinis repletus, vel saltim corrigatur per suffimigia ex gummatibus balsamicis instituta. Cibi eligantur eupepti, facile resolubiles et aromatibus pipere et zingibere conditi; saepius quoque olera antiscorbutica, cochlearia, asparagus, nasturtium, raphanus rusticanus aliique raphani edantur. Corpus exerceatur motu

conueniente et reficiatur vino generoſo, praecipue Rhenano, Hungarico vel Hiſpanico. Vitentur animi pathemata triſtiora et denique ſecretiones et excretiones in naturali conſeruentur ordine.

§. 50.

Quod diaetam praeſeruatoriam concernit, ii, qui coacti ſunt, vt ea committant vitia diaetae, quibus hoc malum contrahitur, tam illum conſeruent ordinem in §pho praecedenti conſcriptum, quam etiam tempore praecipue matutino, vel infuſum trifolii fibrini et cochleariae, vel eſſent. abſynth. compoſit. vel aliam mixturam aromaticam aſſumant, non vero ieiunum corpus aëri committant liberiori ne tam ſaliuae ſe misceant particulae heterogeneae, quam illae per inſpirationem et abſorptionem per poros cutis corpori communicentur. Inprimis vero ſaepius laxantibus vtantur, quibus extracta amara ſint mixta et a nobis ſupra commendata, et nonnunquam tranſpiratio ad ſudorem vsque promoueatur per diaphoretica et ſudorifera. Haec de ſcorbuti frigidi explicatione ſufficiant.

SOLI DEO GLORIA.

CLA-

CLARISSIMO DOCTISSIMOQVE
MEDICINAE DOCTORANDO

IOH. AVGVSTO WILHELMO LEZIO

S. P. D.

PRAESES.

QVANTOS, laudanda Tua diligentia, in arte medica feceris progreſſus hoc Tuo ſpecimine inaugurali egregie doces. Ita enim iſtud elaboratum deprehendi, vt pauciſſima addenda paucaque emendanda mihi ſint viſa. Non poſſum igitur, quin tum egregium hoc eruditionis ſpecimen, tum gradum Doctoris, digne poſt paucos dies capeſſendum, ſincero pectore Tibi gratuler. Perge vti coepiſti in perquirendo ſtudio medico, nec Tibi deerit benignitas Diuina, tam in conſeruanda propria ſanitate, ad ſeram vsque ſenectutem, quam in reſtituenda multorum aegrotantium ſalute: id quod maximopere Tibi adprecor. Dab. Ien. d. VII. Aug. MDCCLI.

Er

Erkämpfe vollends nun den Lohn.
Hygea wartet Deiner schon,
Um Deine Schläfe Dir die Lorbeern itzt zu winden,
Mit diesem Schmucke, eilest Du
Froh Deinen künftgen Ehren zu,
Die, wie der Schatten, sich bey den Verdiensten finden.

Dies sind die Früchte von dem Fleiß.
Geniesse den erworbnen Preis,
Und sey dem Vaterland, und Dir und uns zur Ehre.
Dein Beyspiel mach es offenbahr,
Daß dem, der treu der Weißheit war,
Die Weißheit Lohn und Lob und Glück gewis gewähre.

Mich, den ein Blut, ein Vaterland
Mit **Dir, Belohnter Freund!** verband,
Mich reitzt schon itzt Dein Lohn zum innigsten Vergnügen.
Und wenn Dein Glück erst höher steigt,
Das sich itzt in der Blüthe zeigt,
Welch ein Ergetzen soll alsdenn mein Hertz besiegen!

Und, o! welch rührend starcke Lust
Walt in der zärtlich treuen Brust
Der Deinen, da Dich itzt Hygeens Hand belohnet.
Ergetze stets Sie durch Dein Wohl;
Mich macht Dein Glücke Freudenvoll,
Denn Dich verehrt mein Hertz, in dem kein falsches wohnet.

Dem Hochedlen Herrn Doctorand stattet zur Bezeugung
seiner Freundschaft und Hochachtung seinen aufrichtigen
Glückwunsch ab, ein ergebner Freund
und Anverwandter

J. E. Pfau,
Coth. Anhalt.

Freund!

* * *

Freund! sollt ich unbedachtsam schweigen,
Da wir Dich heut an Ehren steigen
Gekrönt von Meditrinen, sehn?
O nein! der ächten Freundschafft Liebe
Und der Verwandschafft treue Triebe
Die lassens nimmermehr geschehn.

Eh will ich matte Töne wagen,
Dir, Treuverehrter Freund! zu sagen,
Wie sehr der Lorbeer mich vergnügt,
Der sich zum Zeichen Deiner Würde,
Zum Merckmal der erlangten Zierde,
Um Deine Schläfe würdig biegt.

Brauch nun die Lehren der Hygeen,
Bedrängten Krancken beyzustehen;
Und sey ein Retter in der Noth,
Bezwinge Fieber, Schmertz, und Plage,
Womit das Trübsal unsrer Tage
Uns stündlich mit dem Grabe droht.

Das Glücke sey Dir stets zur Seiten,
So wirst Du Dir ein Lob bereiten,
Das hin bis zu den Sternen steigt.
So werden Dir die Zeiten dancken,
Wenn Deine Kunst geplagter Krancken
Fast eisern scheinend Schicksal beugt.

Mit diesem aufrichtigen Glückwunsche bezeuget dem Hochedlen
und Hochgelahrten Herrn Doctorand seine Freundschaft
und Hochachtung Desselben Ergebenster Freund
und Anverwander

C. F. Pfau,
Coth. Anhalt.

* * *

CLARISSIMO AC DOCTISSIMO

DOMINO DOCTORANDO,

AMICO SVO INTER PAVCOS COLENDA

S. P. D.

C. A. GONDELA, Bremanus.

Med. Ddus.

OPPONENS.

Et multa & magna mihi ſunt, quæ in præſentiarum me ad ſcribendum impellunt, argumenta. Novi qui jam Te excipiunt, omnibus plaudentibus bonis, honores, vetant quo minus aſymbolus muneam, ac inſignis Tua, qua me jam a multis abhinc annis complexus es, amicitia, ſingulari quodam ſuo jure devincti tibi animi documentum ſibi vindicare videtur. Sic tandem curriculo ſtudiorum tuorum ſub maximorum quos Germania veneratur virorum ductu emenſo, laboribus academicis feliciter exantlatis, egregiis inſignis tuæ eruditionis exhibitis ſpeciminibus, lauream doctoralem obtines, atque patriae civem virtutibus conſpicuum & eruditione inſignem reddis? Macte nova virtute Tua, ſic itur ad aſtra! Gratulor Tibi animitus ſummos in arte ſalutari honores, Deumque precor velit & impoſterum conaminibus tuis ita adeſſe, ut tibi inde egregia emolumenta contingant, proximo vero ægrotanti inſigne ſolatium ex iis redundet. Quod reſtat ut ulteriori Tuæ me commendatum habere velis amicitiæ, ea qua poſſum animi vehementia pariter ac obſervantia enixe rogo, quod mearum eſt partium, habebis me ſemper & fauentem, & amicum, & virtutum tuarum cultorem. Vale mihique fave. Dab. Jenæ, A. R. S. MDCCLI. d. VIII. Aug.

Hygäens

SERENISSIMO ET CELSISSIMO
PRINCIPI AC DOMINO
DOMINO
AVGVSTO LVDOVICO
PRINCIPI ANHALTINO SENIORI
DVCI SAXONIAE, IVLIAE, CLIVIAE, MONTIVM
ANGARIAE ET GVESTPHALIAE, COMITI
ASCANIAE, DYNASTAE BERNBVRGI
ET SERVESTAE RELIQVA

PRINCIPI AC DOMINO MEO
CLEMENTISSIMO

PATRI PATRIAE AVGVSTO

CVI

SALVS SVBDITORVM SEMPER EST

CVRAE CORDIQVE

HANCCE

DISSERTATIONEM INAVGVRALEM

DE

SCORBVTO

SPECIATIM FRIGIDO

IN SIGNVM

SVBMISSI ANIMI

D. D. D.

AVCTOR.

SERENISSIME PRINCEPS
DOMINE CLEMENTISSIME!

IGNOSCE pro ſingulari TVA clementia libertati, qua humillime ad ſolium TVVM accedens, diſſertationem meam inauguralem tanquam ſtudiorum meorum primitias TIBI in certiſſimæ erga TE reverentiæ argumentum offerre audeo. Omnium enim officiorum meorum primum eſſe ratus ſum, publicum devotiſſimi animi ſtatuere monumentum, præſertim cum clementia TVA, qua omnes ſubditos,

qui TE vera colunt pietate, amplecti soles, etiam tam in parentes meos quam in me largiter hactenus sit effusa, & ideo immortaliter obstrictus non potui non hoc gratissimae mentis testimonium edere. Servet TE Deus T. O. M. & SERENISSIMAM TVAM stirpem sospites atque incolumes in subditorum TVORVM decus atque solatium. Faxit Divinum Numen ut ad summam aetatem, imo ad Nestoreos pervenias annos; animi corporisque vires ad decrepitam usque senectutem conservet vegetas, quo cives TVI felicissimo atque clementissimo regimine per longam multorum annorum seriem adhuc frui et soliciti ad TE refugere et auxilium TVVM implorare possint. Ultimo abs TE, SERENISSIME PRINCEPS, submisse rogo atque contendo, ut clementiae TVAE & benignitati semper commendatum habeas

SERENITATIS TVAE

Jenae, d. XIV. August.
M DCC LI.

humillimum et devotissimum
servum
IOH. AVGVST. GVIL. LEZIVM.

* * *

Hygäens ächte Kunst, so uns die Mittel lehrt.
Wodurch so manchen Schmerz, so mancher Krankheit Wüten,
Die wilden Furien gleich, uns foltern, Trotz zu bieten,
Schätzt ieder, der sie kennt, des größten Vorzugs werth.

Der Stümper wagt und würgt; er, der ihr Schande macht,
Sich erst den Gradum stiehlt, dann durch ein freches Morden,
Sich einen Kirchhof baut, ist dadurch werth geworden,
Daß man zum Opfer ihn Machaons Schatten schlacht.

Daß ist ein Affterkind: allein ein würdger Sohn
Verhält sich so, wie Du; Dein feuriges Bestreben,
Nach ächter Wissenschafft, muß, Freund, Dich ietzt erheben,
Denn Meditrine schenkt den Lorbeer Dir zum Lohn.

Dieß ist die erste Frucht von Deinem steten Fleiß.
Geh hin, wo **Ludwig** herrscht. Nicht herrscht: Nein! sanft regieret,
Wo er den Fürstenstab voll Weisheit gnädigst führet,
Dort findet Deine Kunst und Wissenschaft den Preis.

Ich, den nebst Dir ein Land, o **Theurer Freund**, gezeugt,
Ich wünsche, daß Dein Ruhm beständig wachs und steige,
Daß sich Dein Glücke stets in neuem Glanze zeige,
Das seinen Lauf nichts hemm, bis es das Ziel erreicht.

Aus Freundschaft, Hochachtung und unverfälschten Trieben
Hat dieß am am heutgen Tag, von Freud erfüllt, geschrieben,

Des
Hochedlen und Hochgelahrten Herrn Doctorands
verbundenster Freund und Diener

Johann Siegmund Manso,
d. G. G. B. aus Anhalt Zerbst.

Wenn ein Geist erhaben denket, wo der niedre Pöbel träumt,
Wenn er keine seiner Pflichten, die ihn möglich sind, versäumt,
Keine Hindernisse scheut, solche muthig überwindet:
So ist dieß gewiß die Folge, daß er Ruhm und Ehre findet.

Werther Freund! Dein eignes Beyspiel giebt hiervon ein Zeugniß ab.
Denn um Deine würdge Scheitel windet heute Aesculap
Den verdienten Lorbeerkranz, Feuer, Fleiß, gesetztes Wesen,
Klugheit, Treue, Wissenschaft lassen hier die Folgen lesen.

 Eile

Eile nun nach jenem Lande, daß Dich einſt hervorgebracht,
Zeig ihm einen ſeiner Söhne, der ſich deſſen würdig macht;
Dort empfängt Dein Fleis den Lohn, dort wird Dein gelehrtes Wiſſen
Nach Verdienſt gekrönt: drum eil, jene Fluren zu begrüſſen.

Bey des Hochedlen und Hochgelahrten Herrn Doctorands Inaugural-Diſputation ſollte zur Bezeigung ſeiner wahren Freundſchaft und Hochachtung dieſes hinzuſetzen Deſſen verbundenſter Freund und Diener

Johann Siegmund Töpffer,
d. G. G. B.
Aus Anhalt Zerbſt.

CLARISSIMO ATQVE DOCTISSIMO

DOMINO DOCTORANDO

AMICO SVO AESTVMATISSIMO

S. P. D.

C. F. JAMPERT, Berolinenſ.

OPPONENS.

JVBES me eſſe ex numero opponentium Tuorum, ſed ſimul me teſtem ſpeciminis eruditionis Tuæ probatæ facis. Potius me ad laudes Tuas proclamandas invitas, quam quod me diſſentientem habere velles. Fateor, nil iucundius mihi accidere potuiſſe, quam iſto fungi munere, quo me non indignum iudicas Animitus Tibi interim gratulor de honoribus merito a Te obtinendis. Sane ipſa iſta a Te elaborata diſſertatio plus loquitur, et gravior longe teſtis eſſe poteſt, Tibi honores doctorales ſummo iure impertiri, quam ſi ego rudioribus meis voculis laudes Tuas terere coner. Nil igitur ſupereſt, niſi vt devinctum Tibi animum meum offeram ad quævis officia remuneranda, et vt rogem, amore me, ſi potis es, amplectere. Vale. Jenæ, Pridie ante Idus Auguſt. M DCC LI.